mat, & maiorum gloriam atq; exempla ſecum reputat, ad imitationem inuitat, in quam ſententiam pulcherrimè dixit Euripides:

Φοῦ φοῦ τὸ φῶναι πατρὸς εὐγενῆς ἄπο Ὅσην ἔχει φρόνησιν ἀξιώματι.
Κἂν γὰρ τὸ πρὶν ὢν τυγχάνῃ χρηστὸς γεγώς, Τιμᾷ τὸν ἔχοντ' ἀναμετρούμενον δ' ἕκαστος
Τὸ τοῦ πατρὸς γενναῖον, ὠφελεῖ πρόσω.

Aliquid igitur eſt nobilem naſci: ſed maius nobilitatem tueri & conſeruare, nõ degenerare, & maioribus ſuis ſe dignum ac ſimilem præſtare. unde homines non ſolum nobiles, ſed generoſos quoq; dicimus, ut Græci εὐγενεῖς καὶ γενναίους: illud aliũde, hoc proprium eſt. Antigonum legimus, cum iuuenis quidam ſtrenuo patre natus, ipſe uerò parum bonus miles exiſtimatus, patris ſtipẽdia peteret, dixiſſe: Atqui ego non paternæ, ſed propriæ fortitudinis mercedem ac præmia largior. quod eius dictum elegantius Græcè profertur: Ἀλλ' ἐγὼ οὐ μειράκιον ἀνδραγαθίας, ὁ παῖ ἀγαθίας, μισθὸν καὶ δωρεὰς δίδωμι. Euripides in Hecuba nobilitatis gloriam in uiris ſuæ familiæ ſplendore dignis, ſubinde augeri teſtatur his uerſibus:

Δεινὸς χαρακτὴρ, πάππισημ' ἐν ἐσθλοῖς Ἐσθλῶν γένεσθαι, μᾶλλον ἢ πλέον κρέτος
Τῆς εὐγενείας τὄνομα τοῖσιν ἀξίοις.

Illi uerò quanquam nobiles, non tamen generoſi ſed degeneres ſunt, quos Euripides in nobilitate improbos eſſe ait, de quibus etiam ſentit Phocylides cum ſcribit,

Τὸ πλέον γένος εὐγενὲς εἶναι, οἷς ἔστ' ἐν μύθοις ἔπεστι χάρις, ἔστ' ἐνὶ βουλῇ.

Iam ut laudabilis ſit nobilitatis conſeruatio, ut quauis in re non minus in tuendo quàm acquirendo ſiue laudis ſiue laboris eſt: maximum certè iudicari debet, ſi quis auitam & hæreditariam gloriam non ſolũ quantam accepit conſeruare, ſed uirtutibus & officijs illis, quæ cum ſingulos ornare, tum alijs etiam hominibus prodeſſe poſſunt, augere atq; illuſtrare conetur. Sic enim & principio nobilitas inchoatur: & quiſquis claro genere prognatus, illud omni honeſto ſtudio magis magisq; decorare pergit, par ille authori illius familiæ gloriæq; exiſtimari meretur. Ita pulcherrimi ſunt in rerum natura, nec minus in ijs quæ naturã ſuperant bonis, diſtincti gradus. Et ſanè pulchrum eſt ea quæ admiramur, queq; laudamus, pulchrè & per ſuos gradus partesq;, ſingillatim ac ordine mirari, & Deum in ſingulis atq; uniuerſis laudare. Quoniam uerò iterum atq; iterum repetere libet quod pulchrum eſt, bonum eſſe dico, primum quidem & incomparabile unum & ſummum Deum, deinde quicquid ab eo factum aut creatum eſt: ſed hoc iam magis & minus, perq; ſuos ordines & gradus, quibus inter ſe comparari ſingula poſſunt: id quod duobus modis accidit. Comparantur enim uel ſecundum ſubſtantiam ſuã, uel reſpectu finis. Quod ad ſubſtantiam primus boni gradus eſt eſſentia: ſecundus, uita: tertius, cognitio rerum ſingularium, ſiue ſenſus: quartus, ratio ſiue cognitio uniuerſalium & Dei præcipuè. Hic iam eſt animę noſtræ Pythagoricus ille quaternarius, homo rationalis & imago Dei. Sed uidetur etiam quintus gradus addendus, aſſimilatio Dei, quæ quidem per amorem duntaxat atq; fiduciam contingit. Duo poſtremi, proprij hominis ſunt: cæteri communes. Finis uero reſpectu, rerum & ſubſtantiarum

Rurſus de bonorum gradibus.